34338
37 317

Q. D. B. V.

DISPUTATIONEM
DE
NUCE VOMICA,

Indulgente Gratioſo Medicorum
in almâ Leucoreâ Ordine,
SUB PRÆSIDIO
VIRI *NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI*
AC EXPERIENTISSIMI,

DN. JEREMIÆ LOSSII,
Philoſoph. & Medic. Doct. longè celeberrimi, Anatomiæ & Botanices P. P.
dudum meritiſſimi &c.
Domini Patroni & Præceptoris ſui æternùm devenerandi,
in
Collegio Medicorum
Ad diem 22. Martii A.R.S. M DCLXXXIII.
publicè ventilandam
proponit

ANDREAS CASPAR GEORGI,
Mittvveidà-Miſnicus.

WITTENBERGÆ,
Literis JOHANNIS WILKII.

LXIII. 8

I. N. I.

VEneni nomine qvæ veniunt, hodiè reſpectivè ſolùm ad corpus, qvod in minutiori qvantitate per ſe inſigniter & ſingulariter lædunt, ita vocantur, nullũ verò abſolutê tale exiſtere judicatur. Patet enim ex ipſa Creationis hiſtoria, omnia corpora, adeoq; & Venena qvævis, in propria ſua ſpecie incontaminata & ad usũ commodumq; hominis primùm creata, per maledictionem autem divinam demùm in hominis detrimentum poſita eſſe; unde etiam obſervamus, qvod unum idemq; corpus (venenum) non ſemper in qvalibet qvantitate, qvalibet forma, & qvovis ſubjecto, vel eod. modô noceat; ſed tantùm ratione doſeos, ſtatus, formæ & ſubjecti diverſi, tale evadat. Ita Opium, Crocus, aliaq;, imò omnia purgantia, præcipuè fortiora, in nimia tantùm doſi ſumta, fiunt venena, non æqvè, ſi circumſpectè adhibentur: Sic viperæ, (qvin & ipſe homo) non niſi vehementer irritatæ morſum venenatum infligunt; in ſtatu autem metus ſunt prorſus innoxiæ, imò qvoad totam ſubſtantiam, qvoad omnes partes ſolidas, humoroſas & ſpirituoſas, in ſaluberrimum homini medicamentum cedunt: Scorpii ictus *Teſte Vid. Vid. in Oper. Med. de Curat. Morb. T. 4. Lib. 2. cap. 8.* nocent ſaltem in ſiccioribus locis, non

æqvè in humidioribus. Sic nota eſt hiſtoria puellæ, meris venenis nutritæ, apud Alexandrum; noti qvoqve ſunt Circumforanei & alii, qvi freqventi uſu familiaria ſibi reddunt Venena, à qvibus poſtmodum non læduntur, ſed potius nutriuntur: mireris eſſe nonnulla, qvæ nobis ſunt & non ſunt venena; qvis enim non qvotidiè videt magno cum ægrorum levamine ♈m ⊖i, vel Ol. ♀ri à Medicis exhiberi; inſtilles eadem venæ apertæ, hoc diluendo, illud coägulando ſangvinem, lethalia erunt venena. Dantur demùm, qvæ cùm hominibus ſint Venena, non ſtatim aliis viventibus brutis talia ſunt: Cicuta, e,g. & Araneæ ſunt Venenum homini, ſed illa ſturnis, hæ gallinis, alimentum & delectamentum exiſtunt. E contrario qvædam veniunt infeſtisſima non omnibus, ſed tantùm qvibusdam, qvæ homini aliisq; brutis prorſꝰ ſunt innoxia: Sic Aloë, qvæ homini eſt ſaluberrima, interficitur tantùm vulpes, non alia bruta; amygdalæ amaræ dicuntur venenum canibus & vulpibus tantùm. Perhibent qvoqve de Nuce vomica, qvod ea tantùm animalia cœca nata, e. g. feles, canes, vulpes, picas, cornices &c. interimat; tutò tamen & cum magno emolumento adverſꝰ lethifera & epidemicos morbos in electuariis cordialibus, præcipuè in Electuario de Ovo Maximil. I. Imper; homini exhiberi à Veteribus & Recentioribus qvibusdam prædicatur. Cùm tamen alii ſint, qvibus Vomicæ uſus ſuſpectus habetur, è re Medicâ eſſe videtur ut hæc penitius cognoſcantur. Eapropter inſtitui in præſenti in vomicæ Nucis naturam pro ingenii modulo exercitii gratia altius aliqvantò inqvirere. Annuat divinum Numen clementisſimè!

§. 1.

§. I.

DE nominum ratione ſolicitum me jubet eſſe introducta ubivis methodus: Nec parum ad rei explicationem. Dicitur autem Nux, de qva nunc agere inſtituimus, cognomine Vomica; Satis qvidem barbarè juxta indolem Arabum, à qvibus hæc Nux primùm in officinas fuit introducta & adpellata, forſan à vomendo, qvia homini exhibita vomitū creare dicitur. Ita enim *Serapio Arabum anteſignanus*: Vomica per ſe aut cum ⊖e, aut aliis medicamentis trita ʒj pondere vomitum ciet in homine. Addit *Ruellius in Hiſt. Plant.* qvod idem præſtet cum ſemine anethi aut fœniculi, & melle mixta & cum ▽ calida pota humores phlegmaticos bilioſosq; expellat, & alvum mediocriter ſubducat. Aſſentitur *Magnus Senn. Prax. M. L. 6. part. VII. c. XX.*

§. 2. Sed hic ſtatim notari convenit error Officinarum & Botanicorum plurimorum, qvi Nucem Metel qvoqve Vomicam appellarunt, & vice verſa, cùm tamen ſint fructus inter ſe diverſiſſimi. *Lonicerus* Vomicam noſtram vocat Metellam Officinarum: Et *Caſp. Bauh.* qvoq; in *Pinac. Theatr. Bot.* dicitur Nux Metel Officinarum. In eodem errore fuit primùm *Matthiolus*, uti ipſe fatetur in Dioſc. ſed ibidem ſe corrigit: credideram, inqvit, Nuces qvas Vomicas Seplaſiarii vocant, genuinas eſſe Metellas, at cùm diligentius legerem Avicennam, (ab Arabibus qvippe hujus medicinæ autoribus hâc in re petenda eſt veritas) vidi, Metel brevibus ac craſſis rigere aculeis, & ſemen ferre Mandragoræ ſimile; non potui me ipſum non accuſare. Mihi v. in evolutione Avicennæ nihil ejusm. occurrit.

§. 3. Nux, Metel Arabum, eſt fructus Strammonei Fuchſii, qvod eſt Solanum alterum, ſ. maniacum Dioſc. aculeis ſ. tuberculis undiq; obſita, ſemen Mandragoræ ſimile in ſe continens: Ejus planta etiam eſt Solanis exactè ſimilis, vel potius Solani ſpecies, cujus folia redolent Opium, & flores albi convolvoli majoris, ſive lævis Smilacis æmuli. Iconem videre licet apud *Matth. l. c. Tabern. Pancov. Ionſt. in Dendrol. Fuchſ. herb.* & alios. Nux qvoq; Metella intra corpus ſumpta ſomnum profundum, à qvo homo vix excitari poteſt, item temulen-

tiam,corporis pallorem,ungvium livorem, anhelitum anxium,labiorum intumeſcentiam, tandemq; frigidum ſudorem inducit,qvem paulò poſt mors inſeqvitur. vid. *Matth. l. c. Senn. l. c. Cæſalp. 5. Hiſt. 17. Columm. Phytobotan. f. 46.*

§. 4. In ſingulis autem differt ab hac Vomica Officinarum,uti ex ſeqq. patebit,& manifeſtum fiet,qvantô errore tàm Officinæ,qvàm Vulgus has binas Nuces confundant, qvando legitimas Vomicas pro Metellis uſurpant, & contra Metellas Vomicarum vice. At eorum lapſus non ſolùm ex Serapione; ſed potisſimùm ex *Angvillara 13. Sent. 37.* ſufficientisſimè patet.

§. 5. Primis Inventoribus, Arabibus ſcil. dicitur Leuz alkei ſive alkee, Officinis&barbaris Nux Vomica, *Caſt. Lugdun. Tabern.* Italis Noce Vomica, Nux Vomica & Canina *Cord.* Lac,vulgò & fungus Orientalis *Cæſar.* Metella vera Officinarum, Lonicero falſo Metella Guil. Tithymali Myrſinites] fructꝰ Fuch. Comp. Med. forte Cutſchula *Rauwulff.* Germanicè audit, Krähen Auge/qvod Cornicibus venenum ſit præcipuè; vel qvod in centro utriusq; lateris oculum qvaſi repræſentet.

§. 6. Ex hactenus dictis liqvet,qvare in Plantæ, cujus fructus Nux Vomica ſit,ipſiusq; Nucis deſcriptione convenire neqveant Botanici. A Græcis&Latinis antiqvis nunqvam fuit deſcripta; imò adhunc usq; diem ab omnibus ignoratur, cujꝰ fruticis fructus ſit. Arabibus tantùm accepta ferenda, à qvibus primùm fuit introducta & deſcripta. Nam â Serapione de Vomica hæc habentur: Nucis Vomicæ color eſt inter glaucedinem & albedinem,paulò eſt major avellana, & ſunt in ea nodi: Aſt figuram arbuſculæ eam generantis non docet, nec folia. Speravit qvidem dudum *Antonius Muſa Braſſavolus*, ſe brevi plantam viſurum, *Vid. ejus Exam. Simplic. p. 220.* Sed neq; in hunc usqve diem iconem qvidem ejus apud ullum Botanicum, qvos qvidẽ mihi videre contigit, reperire licet; *Idem* Serapio qvidem docet, *Cap. 375.* qvod frutex Nucis Metel ſit Nuci Vomicæ ſimilis. *Matth. autem Romb. Dodonæo*, aliisq; Metel Arabum videtur eſſe ipſa Stramonea ſive pomum ſpinoſum, (Stechäpffel) cujus iconem affert Matth. & reliqvi. Hic enim fructus non ſolùm Nucis imaginem refert; ſed etiam aculeis

leis craſſis & brevibus riget, ſemen qvoq; mandragoræ ſimile qvoad virtutem ſoporiferam habet. *Aloyſius Angvill.* Stramoneam Hippomanes illud Theocriti eſſe ſuſpicatur, qvo in Pharmaceutr. eqvos in furorem agi refert. *Jonſt. Dendrograph.* ſimilem hederæ, ſive hederaceam eſſe judicat. Sunt conjecturæ.

§. 7. De Plantæ igitur ipſiꝰ loco natali, forma, natura, germinatione, fructuum maturatione nihil certi conſtat; ubivis enim de his inter Botanicos altum ſilentium, qvod aliis æq; ac nobis mirum videri poterit, cùm Nuces ipſæ in magna copiâ, etiam vili ſatis pretio afferantur: Ut hîc qvoqve cum Helmont. inſignem negligentiam Botanicorum arguere liceat, utpote qvi dudum conqveſtus eſt, qvod à Dioſcoridis usq; tempore nihil præter nomina rei Botanicæ additum fuerit. Qvod verò India, ſive Arabia plantæ hujus patria ſint, vel exinde colligere licet, qvia Nux hæc primùm ab Arabibus eſt in Officinas introducta, & ex Indiâ tantùm Venetias deportatur. Unde Antonius *Muſa. Braſſav. l. c.* Nucem, inqvit, vomicam nunqvam apud antiqvos aut recentes Græcos reperiri, ideò Arabibus gratiæ agendæ, qvi hæc ſcriptis mandarunt, & nobis indicarunt, illos autem vehementer reprehendo, qvæ inclamare ſolent, Arabibus derogantes, pulcram rem oſtendunt, nam venenum manifeſtant. Sed ô fatui & viri ineptisſimi, nonne & Dioſcorides Napellum, mel inſanum, Strichnon maniacum deſcripſit, & infinita alia his magis venenoſa; tamen ex eodem etiam conſtat, qvòd Nuces vomicæ Venetias Alexandria Ægypti adferantur.

§. 8. Sed Nuces ipſæ ſunt ſatis notæ, & in qvibusvis Pharmaciis reperiuntur: Eas igitur nunc examinabimus. Vomica eſt Nux cujusd. Plantæ exoticæ in Arabia naſcentis nondum cognitæ, colore inter glaucum & album, avellanâ paulo major & nodoſa. Vel ut accuratius, prout præſentem videmus, deſcribamus: Eſt fructus orbicularis, fungi inſtar, abjecto pediculo, coloris ex cæſio cinerei & vario lucis objectu renitentis,

tactu

tactu molli, & ſuperficie villum holoſericum imitans; repræſentat umbilicum in utroq; latere medium occupantem, qvorum altera parte expresſior eſt. Iconem accuratam ejus videre licet *ap. Jonſton. Dendrogr. & alios.*

§. 9. Inter nuces omninò locum meretur Vomica ob reqviſita Nucibus qvibuscunq; propria. Gaudet enim cortice villoſo, & nucleo. Nuces cummuniter duplici cortice obduxit natura, altero carneo, altero lignoſo, qvod in juglandibus qvidem & amygdalis &c. ex toto manifeſtum; in avellanis utplurimum ex parte; qvibus ſcil: laciniosſus tantum cortex mediam partem obtegit, non ſecus ac in qvercubus cupula: Caſtaneæ & fagi id peculiare habent, qvod ἐχίνῳ propriè dicto operiantur. Nuces pineæ κῶνον ſive ſtrobilum aperiunt, eumq; ſqvamoſum & diviſibilem: Ita etiam Vomica ſuas peculiares posſidet tunicas ſive cortices, unam exteriorem qvidē lanuginoſam, lignoſiorem alteram. Qvi nucem noſtram caſtaneæ genus eſſe dicunt, eam non è numero nucum excludunt.

§. 10. Sed gravius errant, qvi fungum potiùs fruticis cujusdam eſſe adſerunt, eò qvod fungi inſtar videatur. In hac opinione erat *Crato Lib. VII. Epiſt, Med. XVIII. ad PetrumMonavium.* Aſt fungus eſt excrementum arboribus, fruticibusve qvibusdā adnaſcens, vel immediatè è terra prodiens, ſed proſus ſine ſemine, ſine nucleo, qvæ in Vomica manifeſtè patent. Neqve hîc conſenſus præbendus eſt Viro illi fide aliàs digno, & rei herbariæ peritisſimo, qvi Angvillaræ retulit, Vomicam vulgarem radicem eſſe, non nucem, foliis rotundis per humum repentibus. Nullam prorſus inter Vomicam & radices analogiam reperimus, qvod etiam ex ulteriori ejus anatome patebit.

§. 11. Nux enim fiſſa in duas partes dividit nucleum. Cujus ſubſtantia, duritie ferè cornea, colore ex fulvo candicante, ſapore inſigniter amaro, tàm ſolida eſt & lenta, ut vix contundi & in pulverem redigi qveat. Hæc pars nil aliud eſt qvàm *nutrimentum*; liqveſcit enim ut in aliis ſeminibus, & fermentatione ad nutriendum diſponitur. In centro apertæ exiguum foramen eſt, qvod *germinaturæ* & ex ſemine hoc ſato proditaræ plantæ

plantæ cicatriculam ſive rudimentum exiguô pediculo,& veluti parvo hederaceo venoſo,dupliciq; folio conſtans in ſe continet. Hæc cicatricula ſive gemmula eſt,qvæ in hâc Nuce, ut in aliis,ſeminis propriè dicti nomen meretur, utut longè qvidem minima & computo plurium vix 2800 capſulæ partem conſtituens, referente *Bekio Exper. circ. Rer. Nat. Princ.* Eâ enim læſâ vel deficiente in qvocunq; ſeminio,corpus illicò ſterileſcit, qvacunq; ratione tractetur. In eâ qvoqve plantæ cujusvis prima delineatio elegantisſimè per microſcopia cõſpicitur; Prout cuilibet in noſtra Nuce demonſtrari poteſt. *Conf. Joſeph. de Aromatar de Gener. Plant. Harv in Exerc. 11. p. 92. c. 50. Borell. obſ. microſcop. obſ. 17. Malpigh. de Anat. Plant. Gräw. Anat. Veget.*

§. 12 Formam integræ plantæ qvodammodo ex inſpectione gemmulæ patere modò diximus. Ea enim non obſcurè repræſentat plantam fruteſcentem,foliis hederaceis ſemper ſibi oppoſitis Hæc gemmula,qvando per calorem terræ fermentationem inteſtinam concipit, eod. modo in Arabia qvocunq; tempore augebitur& germinare incipiet;prout in noſtris plantis obſervamus; attrahendo per fibrillas ſubtiliores & minus cõſpicuas nutrimentum,è reliqva Nuclei ſubſtantia eousq;,qvo radix formata è terra alimentum haurire qveat. *vid. Excell Dn. Præſ. Tract. de Glaudul. cap. de Ovis.*

§. 13. Veteribus in 4 gradu frigida videbatur, procul dubio,qvia brutis exhibitam narcoſin& ſtuporem inducere videbant. Omnia autem narcotica,e,g. Opium & alia,credebant ſummè eſſe frigida;ſed hic opinio jamdudum ab aliis eſt exploſa,& legi hanc in rem meretur *Opiol. Wed. it. de Fac. Med. c. de anod.* Potius Vomica in excellentiori gradu eſt calida: Gaudet enim ⊖e volat. amaro in 🜍re copioſo & vaporoſo, ferè ad modum Opii crudi;qvæ potiùs caliditatis ſunt indicia: Sapor ſummè amaricans,auſterus,ponticus & ingratus eſt tàm in cortice,qvàm ipſa medulla,qvæ manifeſtè ⊖is copioſi & volat. copiam oſtendunt: 🜍 crudum & incoctum docet odor ſylveſtris,præcipuè in reſolutionibus Chymicis. In deſtillatione præbet primò phlegma inſipidum & inodorum; ſed hoc ſeqvi-

tur Ol. primò flaveſcens, poſt nigricans, ſummè fœtidum, vaporoſum, adſtantibus moleſtum, eorum capita feriens & qvaſi inebrians: Oleo fœtido ſuſcedit vapor albicans ſive flaveſcens, manifeſtisſimò indicio ⊖is volatilis, unde etiam phlegma ſaporem ingratum acidiuſculum acqvirit; qvod ⁀ui vol. Urinoſo perfuſum turbatur & lacteſcit. Eſſentiam qvoqve ex iisdem paravimus; ſed facilius propemodum menſtruo Urinoſo, e,g. ꝏ ✳, qvàm 🜍reo ſive ΩVini; unde natura ejus ⊖na & 🜍rea ſufficienter pateſcit.

§. 14. Vi hujus ⊖is vol. & 🜍s vaporoſi, immaturi & indigeſti; non frigiditate brutis eſt præſentisſimum venenum. Id enim Vegetabilibus venenis proprium eſſe videtur, ut ⊖e volat. & 🜍e immaturo, indigeſto, plurimaq; mucagine inviſcato, gaudeant; adeoq; vaporoſitate peregrina nervos potisſimùm & ⁀tus animales defatigent; qvemadmodum è diverſo Animalium venena vi potisſimùm fermentativa peregrina; & Miniralia vi corroſiva agere, prolixiùs diducere poſſem, niſi brevitat jam placeret.

§. 15. Qvod verò & qvomodò brutis, e. g. canibus, felibus, lupis, vulpibus, cornicibus &c. Vomica præſentisſimum venenum ſit, patet experientiâ & conſenſu Botanicorum & Medicorum plurimorum: Unde *Hoffmann. Cl. Pharm. Schröd.* ob vim narcoticam brutis cœcis natis eſt præſentaneum venenum; & *Rolfinc. O. & M. M. Spec. p. 732.* Vomica certò experimento canibus, felibus &c. eſt venenum *Jonſton. Dendrol.* magis modum explicat: Vomica ℥ß pondere exhibita canes in profundum ſomnum conjiciet, in qvo convulſi moriuntur. Nos qvoq; diverſis canibus, felibus, cornicibus & anatibus exhibuimus. Dimidia circiter hora ab exhibitione anhelosè primùm reſpirant; procul dubiô ob ingentem in ventriculo æſtum vaporoſum, â veneno per ventriculi fermentum reſoluto: mox redduntur torpidi & timidi, adeò ut ad levisſimum qvoq; ſtrepitum exhorreſcant, vix progredi audeant; rigidis, ſi impellas, qvaſi pedibus incedunt: Tandem corripiuntur ſpasmo tetano totius corporis, idq; per vices, (ſæpè enim ſeſe recolligunt) qvousq; extingvuntur prorſus intra horæ circiter ſpatium, citiùs

tar-

tardiúsve pro naturâ doſeos & ſubjecti diverſitate. Obſervavi, qvòd ſi vi ad motum concitantur, venenum citiùs agat propter diſtributionem & reſolutionem, qvæ per motum promovetur; in ipſo vero motu inſtar ſtipitis derepentè rigeſcunt, omni prorſus motu & ſenſu ceſſantibus: In Extracto tamen vel Eſſentia mitiùs operatur, qvia vis ſylveſtris & narcotica Spirit. volatili corrigitur qvadantenus & alteratur: qvemadmodum & Opium in Extracto mitius evadit. In aliis brutis e. g. vulpibus, lupis &c. idem experti ſunt alii. Dantur etiamnum, qvi lupos vulpesq; miſtâ cibis Vomicâ, tanqvam ſingulari ſtratagemate fallunt & necant.

§. 16. Qvibuscunq; autem exhibuimus brutis, in nullis tamen ſomnum verè talem deprehendimus; Unde certò liqvet, aliud eſſe narcoſin ſive ſtuporem, aliud ſomnum propriè dictum. Ubi enim datur ſtupor vel inſenſibilitas, ibi non neceſſariò datur ſomnus; aliàs omnes apoplectici, imò ipſi epileptici, qvamdiu ſunt tales, dormirent. Diſponit qvidem ſomnum, ſed non eſt ipſe ſomnus: Stupor eſt tantùm inſenſibilitas, qvæ etiam in vigilantibus datur; ſed ſomnus inſuper eſt qvies ipſius animæ ſenſitivæ, cui tanqvam donum à natura conceditur *Conf. B. Schneid. de Natura Somn.* Exinde qvoqve fit qvòd medicamenta anodyna & narcotica non ſtatim ſint hypnotica; ſeu, qvod per ſe tantùm dolores, per accidens verò vigilias ſedent & ſoporem concilient. Vid. *Wedel. de Fac. Med. L. 2. Sect. 2. c. 10.*

§. 17. Ut experirer tamen, utrum qvoad corticalem, an medullarem, an verò cicatricularem potisſimùm ſubſtantiam (prout, cùm totius ſubſtantiæ delineatio in ea lateat, probabile videbatur) exitioſa adeò brutis eveniat, exhibui usq; ſingula ſeorſim. Sex gemmulæ cani robuſtiori exhibitæ ne ullum qvidem Symptoma excitarunt. Qvô patet, non dependere à forma, ut credebant Veteres, veneni efficaciam; qvoniam in hac gemmula latitare formam eſſet ſtatuendum. Medulla & cortex egerunt; cortex propemodum efficaciùs operari mihi viſa eſt. Mutavi deinde doſes à gr. ij ad ℈j & ultra adſcendendo; ſed minima æqvè ac ſumma doſis, feles aliàs tenaciter viventes, jugulabat; qvamvis à minori doſi diutius qvodammodo ſuper-

 vivant,

vivant, adeò ut etiam hîc valeat illud: Venena etiam in minima ſubſtantiâ maximè lædere.

§. 18. Hanc venenatam in brutis corruptionem unicè, uti jam anteà dictum, â 🜔s volat. & 🜍s potiſſimùm cruditate, vaporoſitate & viſciditate, qvæ ſubtilitati Ωuum animalium toto genere ſunt contraria, provenire puto. Ea enim omnium narcoticorum, ipſiusq; Opii, aliàs ſaluberrimi medicamenti, eſt natura, ut Spiritibus imprimis animalibus dicam ſcribant. Ratio; nam ſingula 🜍re fœtido, crudo, viſcoſo, vel *ut Williſius loqvitur*, 🜍re cum 🜔 crudo & materia terreſtri ſimul combinatis minùs excoctis, ad efferationem tamen evectis, conſtant, cujusmodi concreta non poſſunt qvin ſubtiliſſimæ Spirituum animalium texturæ in totum adverſentur: Unde etiam interdum ad diſtans mera effluvia, vix ac ne vix qvidem per odorem perciptibilia, Ω animales profligant, & poſtqvam intùs ſumuntur, per ſangvinem & tantum non totum corpus undiq; diffuſa ê Ωuum copiis, ubicunq; iis occurrunt, integros qvaſi manipulos venenant, & ſi prævalent eadem, ad internecionem usq; extingvunt. Tantam igitur Spirituum animalium cladem & anomaliam ſeqvuntur neceſſariò inſignes læſiones in ſenſationibus & motionibus animalibus: In ipſo paroxyſmo, fortiori puta, prorſus bruta nec vident, nec audiunt, nec tactu percipiunt, etiamſi diverſis partibus pungantur vel vulnerentur: abſcidimus iis aures, caudas; ſed ſine omni doloris alicujus percepti indicio; ob Spirituum influxum & refluxum, per qvem ſpecies ſenſibiles animæ deferuntur, planè prohibitum & ligatum. Plurimi corripiuntur fortiſſimo tetono, obrigeſcunt toto corpore, aures & cauda extenduntur, venter infimus indureſcit, adeò ut vix ac ne vix flecti qveant: qvando ſcil. Spiritus intra canales ſuos compreſſi renituntur, turgeſcunt, fibras motionibus dicatas extendunt & exitum qværunt. Inde etiam in aliqvibus, ubi Spiritus ſunt fortiores, & adhuc tranſitus aliqvis datur, obſervantur motus convulſivi contractorii & dilatatorii, qvibus Archæus ſive natura excutere conatur, qvod ſibi moleſtum; ubi verò Spiritus planè ſuccumbunt, mors præſtò adeſt.

§. 19.

19. Licet autem ejusmodi venena etiam ſangvini permiſceantur, non tamen notabilem adeò noxam illi conciliant: qvia omne agens agit pro qvalitate recipientis; ⊖ autem & 🜍 ejus vaporoſum ſunt tantùm, uti ſæpiùs dictum, partib9 ſubtilioribus in corpore proportionata: (Hinc & plurima videas venena, qvæ tantùm capiti, alia pulmonibus, qvædam inteſtinis, renibus & veſicæ &c: ſunt inimica; imò, qvæ tantùm brutis, & non hominibus, vel vice verſâ ſunt infeſta; uti mox infrà patebit.) Canes & feles ſtatim poſt interemtionem aperui; ſed nullam neq; in ventriculo, neq; ſangvine, neq; alibi noxam manifeſtè conſpicere licuit, niſi qvòd ſangvis fluidior qvodammodo viſus mihi fuerit, præcipuè circa cor; etiam poſt diei ac noctis ſpatium ab extinctione bruti, procul dubiô ob ⊖ ſummè amaricans & penetrans, 🜍ri huic vaporoſo & narcotico permixtum. Etenim qvò magis ⊖ volatile in venenis acre & alcalinum eminet, eò magis reſolvit. Tale autem in Vomica ſapore manifeſtè deprehendere licet.

§. 20. Sed qvod notatu dignum, neq; ⊖ volat neq; Ol. è Vomicis præparata eundem cum Nucib9 effectũ retinent: Propinavim9 enim utriusq; eximias doſes modò ſeorſim, modò conjunctim canibus diverſis, qvi ſemper evaſerunt illæſi, tantùm cum raucedine vel aſperitate qvadã faucium. Unde manifeſtè ſatis liqvet, plurimas compoſitorũ, præcipuè venenorum qvalitates nõ ab una alterave cõpoſiti parte ſeorſim; ſed ab omnib9 conjunctim emanare: exemplo Opii, cujus neq; 🜍, neq; ⊖ volat. ſeorſim vim anodynam efficaciter retinet: Ita non ſufficit Vomicæ ⊖ volat. reſolvens nimiùm ad trucidandas belluas, niſi accedat ſimul 🜍 ſylveſtre, indigeſtum, per ⊖ volat. reſolutum, poros cerebri, & nervorum occupans, & Ω obruens. Vis unita fortior: vis unita in debita proportione, non qvacunq;: Nam neq; artificialiter ſeparata & rurſus unita priorem indolem ſervant. Et hæ ſunt qvalitates totius ſubſtantiæ communiter occultæ dictæ, qvæ non niſi inſpectâ totius compoſiti natura cognoſci qveunt.

§. 21. Sed nunc indagine opus eſt, an Vomica tantùm qvibusdam animalibus; ſcil. canibus, felibus, lupis &c. non æqvè omnibus & in ſpecie homini, venenum ſit, cùm tamen

qvodvis animalium, præprimis homo, mediante ejusm. ſubtiliſſimô Spirituum ſyſtemate, cui 🜍 vaporoſum & narcoticum tàm infeſtum in canibus & aliis eſſe conſtat, vivit & agit. Res qvamplurimis incerta, & tantùm non falſa penitùs habetur: Unde *celeberr. Sennert. L. VI. Prax. P. VII. c. 20.* qvamvis ſint, qvi Nuces vomicas, canes & aves qvidem interficere, hominibus verò nullam noxam inferre putant, eas tamen intra corpus ſumtas hominibus qvoqve lethales eſſe experientia docuit; Experimentum habet *Matth. in Dioſc. l. 4. c. 73.* de Muliere Vomicâ enecata; & poſtmodum addit ipſa ſymptomata, qvæ inducit: aſſumtam nucem Vomicam ſcil. ab homine, ſtatim nauſea, vomitus copioſus, ſitis vehemens, alvi fluxus immoderatus, pectoris anguſtia, ſubita virium proſtratio, ſudor frigidus, convulſio tandemq; niſi citò ſuccurratur, mors ſeqvitur. *Sennerto ſuffragatur Hoffm. de Med. Offic. lib. 2. c. 162.* Nec tantillum, ibidem inqvit, tribuo iis qvi ſubſiliunt, canibus, felibus, lupis, vulpibus &c: poteſt eſſe venenum, homini non eſt; Ego nolim tàm temerarium qvenqvam eſſe, ut ſubitò fidem det talibus experimentatoribus; Si enim ſemel benè ceſſit, non ob id tutum eſt experimentum: neq; deſunt contraria; qvæ etiam cauſſa mihi fuit hactenus, cur Electuario de Ovo Max. J. Imper. ab imprudente qvodam Empirico obtruſo nunqvam uti voluerim. Ob eand. rationem idem Elect. dudum è Rep. Med. proſcripſerunt Auguſtani Medici. *Joël. in Prax. Med. Ludov. Hanemann. Tract. qvi inſcribitur Spongia Hippocratis & alii.*

§. 22. Nihilo ſecius laudatus Sennertus tandem in paralypomenis poſt ſententias varias collectas concludit: non eſſe venenum homini; ſed cum fructu miſceri cum alexipharmacis, non qvidem ut vomitorium, nec ut alexipharmacum; ſed ut narcoticum, qvo veneni peſtilentis vis nonnihil ſiſtatur. Eò inclinat *Clariſſ. Rolfinck. O. & M. M. ſpec. l. 9. c. 4.* Sed in ſpecie *Georgius Melichius Auguſtanus Pharmacopæus Venetus Diſt. 1. ad Electuar. d. Aromatibus Galeni*; Nuces Vomicas homini innoxias eſſe oſtendit exemplis 1. Turcarum, qvi eas innoxiè eſitant. 2. Germanorum, qvi Electuar. de Ovo, qvod non exi-

guum

guum Vomicæ Nucis qvantitatem recipit, cum ſummo juvamine utuntur. 3. Mulieris infamis, cui non parva copia porrecta, ut moreretur, ſed ſupervixit.

§ 23. Nec mihi amplius de certitudine ſupereſt dubium, cùm ipſemet in ſubſtantia & Extracto toties ad gr. 1. vel alterum deguſtaverim; ſed prorſus ſine omni vel leviſſima noxa. Novi Amicum, qvi integram Nucem Vomicam deglutivit innoxiè. Huic non parùm fidem facere videtur *Fallop. in Tract. d. Tumor. p. 11.* Nuce Officinarum, qvæ eſt Nux Vomica Arabum, utimur ad interficiendum canes, & hâc utuntur Germani in peſtiferis bubonibus, & locutus ſum cum Scholaribus Germanis, qvi aſſumſerunt hujus Nucis ℈j. aut ℈ij & qvandoqve usqve ad ʒj: Symptoma, qvod ſuccedit, eſt ſudor magnus; qvibus verò hic ſudor accidit, evadunt. Addit tamen: verùm ego hanc Nucem non exhiberem; qvoniam eſt medicamentum venenoſum & mortiferum. At enim verò haud inferre licet: cujus uſus brutis eſt funeſtus, illud qvoqve homini neceſſariò eſt lethale venenum; qvod aliis cibus eſt, id exiſtit aliis acre venenum: Sic cicuta ſturnis, hyoſcyamus & mandragora ſuibus, cantharides hirundibus, ſerpentes cervis; de qvo *vid. Sachſ. in Gammar. & A. I. Ephem. Cur. obſ. 14.* araneæ gallinis, ſerpentes & bufones ciconiis cedunt in alimentum; ſed homini ſunt deleteria. Aloe è contrario eſt medicamentum hominibus utiliſſimum, non minus ac amygdala amara: lupis verò, vulpibus, canibus & gallinis perhibentur eſſe venenum: ſues citius enecabis fame, qvàm ad fabarum commeſtionem adegeris; qvod & dici poteſt de Canibus, qvorum natura mirum qvantum à fungorum eſu abhorret. Qvotusqvisqve noſtrûm non qvotidiè Ol. Olivarum impunè adſumit, & hujus tres vel 4. guttæ Scorpioni ſupra dorſum ſtillatæ eund. intra horæ qvadrantem interimunt: Viperæ tabaci Ol. eſt lethale; non angvillæ, modò rurſus ▽æ injiciatur: Dimidium Ol. Ricini granum Simiam miris modis torqvet per vomitus & alvi dejectiones; ſed ſex ejusmodi Ol. guttæ gutturi galli immiſſæ ipſi ne nauſeam qvidem excitant. *Vid. Franc. Red. Obſerv. de viper.* Idem hîc notamus in Vomica, procul dubio ob diverſum nexum principio-

cipiorum vitalium ſangvinis & ſeri ; diverſa fermenta viſcerum, præcipuè ventriculi &c. Differt enim natura à natura; Nullum dubium eſt, qvin in hominibus fermenta, Spiritꝰ, pori & meatus longè diverſa ſint, qvàm in brutis iſtis, e.g. canibus felibus &c. Ut adeò ♁ iſtud narcoticum non æqvè, ac in brutis, hominis Spir. ligare, poros eorum replere, fermenta deſtruere, & anomaliam lethalem facilè inducere qveat; niſi forſan in doſi excedatur: Sed idem metuendum eſt de Opio ſaluberrimo aliàs medicamento.

§. 24. Ex eôdem fundamento abſurdum non eſt credere, qvod animalia bruta qvædam ſint, qvibus, (excipiunt enim qvod tantùm cæcis natis venenũ ſit) Vomica neqvaqvam venenum exiſtat; qvamvis experimenta nunc non adeò in promptu ſint; poteſt tamen qvilibet facile experiri. Exhibui notabilem doſin ſui cuidam, ſed nullam exinde obſervavi noxam.

§. 25. Qvamvis igitur circumſpectus Vomicæ uſus homini in ſpecie lethalis vel noxius non ſit; nihilo ſecius jure meritô hodiè à recentioribus Practicis uſurpari deſiit: Exoleta enim hodiè plurima purgantia, aliaq; olim crebrò in uſum venientia, potisſimùm qvia meliora & præſentiora in elegantiori ſuppetunt praxi. Vomica à Veteribus Medicis, præcipuè Arabibus tutò & magno cum emolumento adverſus lethifera & epidemicos morbos in Electuar. cordialibus, & in ſpecie in Electuar. de Ovo Max. J. Imper. in uſum trahebatur; non, uti ſupra ex Sennerto audivimus, ut alexipharmacum; ſed ut narcoticum, qvô veneni peſtilentis vis nonnihil retardetur. Sed hodiè ejus locô inter Bezoärdica ſubſtituitur Opium, ceu patet ex compoſitione Theriacæ, Tinct. Bezoard. *D. Ludov.* & aliis, profectò cum maximô ægrorũ emolumentô, non ſolùm ut veneni vim liget; ſed potisſimùm ut vinculum & conſortium ſeri, qvod qvamplurima venena maximè deſtruere obſervantur, illibatum teneat, & ſudoris excretionem promoveat: Unde novimus, qvod Theriaca, aliaq; ſine Opio confecta ſudorem difficulter moveant, nec expectationi ſatisfaciant. *Confer. Excell. Wed. de Med. Fac. l. 11. ſ. 2. c. 1.*

§. 26. Eſ-

§. 26. Eâdem intentione poſſet forſan Vomica etiam aliis morbis opponi, ubicunq; motus Spirit. & humorum nimius compeſcendus, e. g. in febribus, vigiliis, reſolutionibus ſangvinis, niſi hîc Opium eſſet inſtar omnium. Sic enim refert *laudatus Wedel. in nuperrima Diſput. de Venenis & Bezoard.* ſe Sartorem aliqvem Empiricum noſſe, qvi non paucos tertianarios uſu Nucis Vomicæ liberarit: id qvod Vomica procul dubiô vi narcoticâ æſtum febrilem compeſcente præſtare valet. Alii ſolent ad peſtis præſervationem lingvæ ſubdere. Tabernemontanus commendat in nimiis doloribus ſedandis.

§. 27. Ingreditur Vomica varias compoſitiones, præcipuè Elect. de Ovo Max. J. Imper. cui primùm ab Empirico, neſcio qvo, pro ſecreto uſu fuit commendatum; ſed non minùs eſt incerta Electuarii hujus deſcriptio, qvàm Autoris primi nomen: Hinc inde plures reperiuntur, præcipuè in Antidotario Weckeri, Viri de re Medica optimè meriti, nusqvam conſimiles. Omnium maximè probabatur olim, qvæ â Medicis Auguſtan. vulgata erat in diſpenſatorio Auguſtanô, in qvo elaborandô ſedulam ac felicem navavit operam Adolphus Occo, percelebris ſuô tempore Medicus, conſenſu ſuorum collegarum, Virorum qvoq; celebrium: Ea tamen dudum â Qvercetano & noſtris temporibus, æqvè ac aliæ, maximè â Zvelfero fuit reformata. Qvercetanus habet duplicem hujus Electuarii compoſitionem, alteram pro ditioribus, alteram pro Gregariis; ſed hæc tantùm recipit Vomicam. *vid. ejus Diſpenſ. Chym. p. m. 785 ſeq.* Ibidem videre eſt Elect. de Ovo Ulrici Chelii. Elect. de Zedoär. contra peſtem; ſingula cum Vomica præparata. Recipiunt qvoq; Vomicam Electuarium camphoratum Kegleri, Elect. de Croco Anonymi, cujus deſcript. vid. ap. *Schrôd. Pharm. Chym.* Sunt forſan plures; Singulæ tamen compoſitiones hodiè ſunt exoletæ: Fruimur per DEi gratiam longè præſtantioribus & elegantioribus; qvare præſtat ab ejus uſu abſtinere: eſt enim tùm in ſe bonum & neceſſarium tùm propter calumnias & imputationes inde facilimè conſeqventes; Prout eidem Sartori contigit, referente *D. Wedel. l. c.*

§. 28. Et qvoniam uſus ejus hodiè deſiit ; forſan non opus eſt , amplius de doſi aut modo utendi ſoliciti ut ſimus. Reqvirunt omnia generoſa medicamenta, & narcotica imprimis, ut ritè, cautè, juſtô modô ac tempore adhibeantur ; aliàs ſunt inſtar gladii in manibus furioſi, uti ex ipſo Opio tàm eſt manifeſtum, qvàm qvod maximè. *vid. Wedel. de F. M.* Sic qvoqve uſus Vomicæ nimius & nimis freqvens & incautus, in homine noxius oppidò erit; non poteſt, qvin juxta indolem ſuam narcoticam torporem & per accidens ſoporem inducat, Ω liget ac figat, fermenta deſtruat, & ſic totam æconomiam animalem peſſundet: In debilibus & langvidis mortem prorſus accelerabit. Unde obſervavit *Rivinus Tract. de Peſte Lipſienſi*, qvòd plurimi ex freqventi Electuar. de Ovo uſu torpidi & ſomnolenti evaſerint. Qvicunq; igitur Electuario de Ovo camphorato Kegleri, vel aliis hujus generis delectantur, iis ſatius videtur eſſe, ut ſine Vomicis præparatum eligant; ſiqvidem Elect. de ovo, judicio celeberrimi *Rolfinc. l. c.* tàm præſentis auxilii ingredientibus eſt nobilitatum, ut ſine Vomicis facere officium qveat: unde etiam præparatur hodiè ſine Vomica. Nonnulli pro Vomica ſemen Citri ſubſtituunt, aut radicem petaſitidis, *ſvadente Fuchſio*; *Georgius Agricola lib. de Peſte* aliam habet deſcriptionem, cui radices pentaphylli, terram Lemnicam & corallia adjicit. Aliud rurſus habet *Guido* contra Peſtem *Confer. Pharm. Auguſt.*

§. 29. Habet tamen Vomicæ noxa ſua qvoqve remedia, communiter ead, qvæ adverſus Mandragoram, aliaq; narcotica commendantur. *Matth. Tab. & alii*, poſt adſumptionem ejus ſvadent butyrum calefactum continuò adſumendum, qvousq; æger ad vomitum excitetur; it. hydromel, lac recenter mulctum & adhuc calidum, juſcula pingvia, Vinum ▽a dilutum hauriri poſſunt. Butyrum enim, lac, Ol. amygdalarum dulcium, omnia pingvia, univerſale qvaſi venenorum ore hauſtorum remedium exiſtunt partim obtundendo acrimoniam eorundem partim vomitum ead. promovendo. Sic ipſa ▽ di-

luit

ſuit acrimoniam plurimorum venenorum, ut irrita evadant; uti patet exemplo murium, qvi ab aſſumto arſenico ▽m inſuper bibunt ac evadunt. Ex Jonſtonio didici, vulnerationem auricularum, ut ſangvis effluat, qvando convelli incipit canis, ſpeciale remedium eſſe; qvod etiam in canibus robuſtioribus, minus tamen in debilioribus, & qvibus major doſis propinata, nobis ſucceſsit. Poteſt hic vulneratio conducere partim archeum à conſopitione excitando, partim Ω per excretionē ſangvinis in motum redigendo, & ſic venenum diſcutiendo; ſed remedium invenimus præſentius in acidis. Cùm enim ex ſupra dictis manifeſtum ſit, vegetabilium venenorum, præprimis Vomicæ, noxam potisſimùm dependere à ⊖e volatili eorum & 🜍 immaturo, indigeſto, ſed vaporoſo nimium, conſultum viſum fuit, eand. acidis, ductu *Excell. Wedel. de F. M. L. II. Sect. II. C. 2. de Antid. ſpec.* corrigere & mitigare; nec ſine ſucceſſu. Propinavi autem acida tùm ſtatim ab aſſumtione veneni, tùm etiam ubi toto jamjam corpore convelli & rigeſcere inceperunt canes. Triplici vice unicum canem, juvenem aliàs alacrem, poſtqvam inſignes doſes vomicæ hauſerat, datô ſuccô Citri, vel tantùm Aceto, ab interitu liberavimus: ſed poſtqvam mox totam nucem pulveriſatam & juſculo permiſtam devoraſſet, nihilò ſecius tetono correptus fortisſimô periit. Eâdem intentione ſvadet *Sennertus l.c.* Zedoariam cum vino, cortices citri, vel ſuccum ejus, rob myrti vel Cydoniorum. Eod. ſvaſore utile qvoqve erit balneo tepido uti, corpusq; inungere Ol. ſeſamino, anethino, vino cum admiſto caſtorio: His enim tanqvam volatibus nervinis paregoricis Spir. animales ab omnimoda ligatione vindicantur & in motum naturalem cientur. Ab aliis laudatur hic Antidotus Möibani, poſtea Saxonica dicta, cujus deſcriptionem habet *Schenk. in Obſerv. Med.*

§. 30. Sed qvoniam, ut anteà monitum, uſus Vomicæ prorſus hodiè proſtantibus melioribus deſiit, nec homini etiam æqvè ac brutis venenum ſit; forſan non opus adeò, ut de ejus Antidotis diſqviramus operioſiùs.

Placuit tamen pauca hæc exercitii gratia pro ingenii tenuitate de Vomica præmeditari; forſan arripient exinde mecum alii qvoqve anſam, non ſolum in hujus, ſed etiam aliorum venenorum naturam & qvalitates curatius inqvirendi; qvò in poſterum Venena æqvè ac medicamenta non amplius occultis; ſed manifeſtis qvalitatibus agere intelligamus.

Æterno rerum omnium Creatori ſit pro hactenus conceſſis viribus Laus & Gloria in infinitas ſeculorum myriades!